

Philippo, qui ab initio parvos redditus et parvam potentiam habuit; postquam tanta acquisivit, barones sui inceperunt de officialibus suis conqueri, quod iura sua occupabant. Rex adhuc non correxit, ut debuit; demum prelati inceperunt conqueri et tunc vocatis ballivis et officialibus suis, incepit eos durius arguere et punire, dicens quod nolebat sumere contentionem contra Deum et ecclesiam, a quo tanta habebat. (7) In articulo vero de administratione bonorum Templi regni vestri, addidit, quod bene sciebat, quod omnia perdebantur et dissipabantur, et quod bene previderat hoc Pictavis. (8) In articulo de pedagiis concessis per regem Alemannie, incepit excusare multum regem Alemannie, quod iure suo nova vectigalia imponere poterat, et ibi exaltavit multum potentiam suam, licet diceret, quod quorundam esset opinio, quod non poterat hoc facere ante coronam susceptam imperii. Ipse tamen nolebat in novitate sua questionem movere nec manum eius ligare nec potestatem eius arctare, sed super hoc scriberet sibi suadendo¹. (9) Circa articulum eorum, que fecerat archiepiscopus Maguntinus, cum peteremus, eum personaliter citari et puniri etc., incepit eum excusare, quod licet male fecisset, non citaret nec puniret eum, quia non ex dolo, sed propter eius imperitiam fecerat et quia erat unus de vicariis, quem rex Romanorum dimiserat pro se in Alemannia, et quia non libenter citabat personaliter prelatos in curia Romana, incipiens narrare, quod quatuor vel quinque tantum toto tempore suo citaverat. (10) Et cum postea per intervalla multorum dierum² instarem, quod faceret iusticiam de falsariis litterarum suarum et de illis maledicis et de eis, qui testes producendos in causa fidei ceperant, torquerant et male tractaverant, post multa verba respondit: 'Vultis, quod ego ducam vos per verba vel quod respondeam vobis precise^a meam voluntatem?' Et nos respondissemus, quod nolebamus per verba duci, respondit et constanter asseruit, quod licet ipse sciret, quod predicti, qui de falsis litteris erant culpabiles, et predicti maledici, qui predicta proposuerant contra fidem et ecclesiam ac potestatem clavium, et contra vos et regnum, qui partem non feceratis^b, ipse tamen iusticiam de eis non faceret usque ad

a) Ueber der Zeile Or. b) So im Or.; vielleicht hier 'egerunt' zu ergänzen.

1) Cf. Reg. Clem. V. n. 6669 von 1310 Dec. 23. 2) Also etwa Ende November.